



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum sexus feminens ordinis susceptione[m] impediatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

secrare: sicut in Republica solius Principis est omnes inferiores ministros constituere.

Notandum tamen Primò: Simplici Sacerdoti auctoritate Pontificis, posse committi collatione Ordinum Minorum; nam hanc modò habet Abbates, si Presbyteri sint, & benedicti: vt patet ex Cap. Cum contingat, de grate & qualitate Ordinandorum, & ex Concilio Trid. sess. 23. c. 10. Idem valde probabile est de Subdiaconatu: nam Abbas cuiusdam monasterij Cisterciensis in Germania habet priuilegium conferendi Subdiaconatus Ordinem, concessum & confirmatum à multis Summis Pontificibus; vt refert Nauar. Consilio 13. lib. 3. tit. de Priuilegijs. Franciscus Victoria q. 33. dicit se vidisse Bullam Pontificis, qua cuidam Abbati Ordinis Cisterciensis hoc priuilegium concedebatur. De Diaconatu non extat exemplum certum; & Doctores communiter negant præter Durandum & Caietanum.

Notandum Secundò: Abbates non posse conferre primam tonsuram, vel Ordines minores, nisi suis subditis regularibus; vt expressè statuit Conc. Trident. sess. 23. c. 10. vbi etiam omnibus priuilegijs & consuetudinibus derogat.

Notandum Tertiò: Quando Archidiaconus in quibusdam Ordinibus porrigit materiã ordinandis (quod facere potest in Minoribus & Subdiaconatu) non censeri ipsum conferre ordinẽ; quia non suo nomine porrigit, sed veluti manus Episcopi, Episcopo interim formam proferente. Hoc tamen fieri non potest in Sacerdotio & Diaconatu.

Notandum Quartò: Episcopum, etsi hæreticus sit, vel ab Ecclesia præcisus, posse hoc Sacramentum conferre. De quo vide supra qu. 64. art. 6. dub. 3. & art. 9.

CAPVT VI.

De impedimentis Ordinum.

DVBIVM I.

Vtrum sexus femineus Ordinis susceptionem impediat?

Respondeo Affirmatiuè: Adeò vt si femina ordinetur, præsertim Ordine sacro, nihil efficiatur. Nò enim tam est irregularis, quàm prorsus incapax huius Sacramenti, vnde etiam nullum extat exemplum. Ratio primaria est institutio Christi. Congruentiã sunt variã: Prima, Quia Ordines adferunt quandam præminentiam supra alios: feminarum autem est, subesse, Gen. 3. v. 16. Sub potestate viri eris. Secunda, Quia Ordinibus annexum est officium docendi: femina iubetur tacere in Ecclesia, & discere in silentio, cù omni subiectione. 1. ad Timoth. 2. v. 12. Tertia, Sexus femineus multas alias habet imperfectiones, ob quas non decet illam ordinari.

Nec obstat, quòd Clemens supra meminit Diaconissarum, & Gregorius lib. 4. Dialog. c. 11. Presbyteriarum, quod habetur Can. Presbyter, 32. dist. Quia illa Diaconissa nihil eorum poterant, quæ Presbyteri vel Diaconi; sed tantùm custodiebant ianuas, & Sacerdoti ministrabãt in baptismo mulierum, idque ob decorem, vt ait Clemens c. 28.

Vnde illarum ordinatio erat sacramentalis quædam caremonia, ab Apostolis instituta, quæ parum durauit. Presbytera autè ibi vocatur vxor Presbyteri, quam ante sacrum Ordinem duxerat, quæ cum illo simul continentiam seruabat. Aliquando sic vocatur vidua senior; vt docet Gratianus ibidem ex Concilio Laodiceno supra, Canone sequenti.

DVBIVM II.

Vtrum pueri, & carentes vsu rationis, sint Ordinum capaces?

Respondeo Affirmatiuè. Est communis Doctorum, præterquam Durandi, qui id negat. Sed confirmatur ex Baptismo & Confirmatione, quæ ante vsum rationis validè conferuntur. Ea enim Sacramenta, quæ pro materia vel forma non habent actum susipientis, vt sunt omnia præter Pœnitentiã & Matrimonium, possunt dari ratione carentibus. Neque ad hoc requiritur intentio parentum, vt contra Durandum ostendimus supra quæst. 68. art. 10. in Dubio: nam Baptismus etiam inuitis parentibus infanti collatus, est validus. In adulto tamen requiritur positius consensus; vt dictum est eadem quæst. 68. art. 7. contra Caietanum.

Notandum tamen, puerum, qui ante vsum rationis ordinatus est, non teneri ad votum castitatis, sed posse liberè matrimonium contrahere. Nã nemo tenetur ad consilia, nisi se sponte ad ea obligarit. Secus est de Christiana religione, etsi inuitis parentibus sit baptizatus: hanc enim tenebatur suscipere, & nulla ei in hoc fit iniuria, sed dumtaxat parentibus, quæ prolem ab Ecclesiæ potestate non eximit. Si tamen nolit seruare castitatem, suspendendus est ab Ordinum executione. Idem dico de eo qui metu cadente in constantem virum, ordinatus est: cuius exemplum habuimus Romæ anno 1583. sub Gregorio XIII. in quodam Religioso professo, & Sacerdotio initiato, cum quo ob metum illum, cùm de eo legitime probatum esset, dispensatum fuit, super votis Religionis & Sacerdotio, vt posset vxorem ducere.

Quænam autem ætas ad singulos Ordines requiratur, vide Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de Reformatione & sequentibus. Capite enim 4. ad Tonsuram requirit Tridentinum vt quis antea Confirmationis Sacramentum susceperit, & sciat legere & scribere. Capite 11. ad Minores Ordines requirit saltem intelligentiam linguæ Latinæ, ætatem autem certam non præscribit. Capite 12. ad Subdiaconatũ requirit annum vigesimum secundum inchoatum. Ad Diaconatum requirit vigesimum tertium inchoatum. Ad Sacerdotium vigesimum quintum inchoatum. Ante hæc tempora suscipere Ordines est peccatum mortale: & in Maioribus incurritur suspensio ab executione; vt patet in Extrauagante Pij II. Alias granes pœnas addidit Xistus V. in sua constitutione contra Clericos malè promotos.

Vtrum verò serui, homicidæ, defectuosi & illegitimi ad Ordines promoueri possint; agit hæc D. Thomas quæst. 39. art. 3. 4. 5. & 6. Nos verò de his satis diximus in materia de Irregularitate.

FFFF DE

Sacerdos ex commissione Pape.

Abbas ex iure.

Archidiaconus tradit materiam.

Episcopus hæreticus vel præcisus.

47 Cur femine sint omnino incapaces Ordinum.

Quæ Diaconissa vel Presbyter.

48 Affirmatiuè.

Anre vsum rationis Ordinatus non tenetur voto castitatis.

Similiter qui per merum ordinatus.

49 Quæ ætas ad singulos Ordines requisita.

50 Quomam præterea ad Ordines sint inepti.